Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 255
Quelle:
Copyright:

dirigitur. Neque magis *Ambrosii Mediolan.* est, cujus aetas Simonia, in quam magna parte Noster invehitur, tantopere non laboravit. Reperitur tamen in plurimis Codd. *Ambrosio* inscriptus, ut habes in Edit. *Mauriana Opp. Paris.* 1690. T. II. *adpend. col.* 357. in *Admonit.* quae *Sermoni* huic vel *Tractatui* praefixa est. Unum modo reperit *Mabillonius*, in quo *Gilberti* (Gerberti) *Philosophi Papae Urbis Romae, qui cognominatus est Silvester* (II.) dicitur; Verum et ab hoc *Anal. Vet.* T. II. p. 216. publicato, et ab omnibus, quos adhibuere *Ambrosii* Editores *l. cit.* Exemplum nostrum elocutione plurimum differt. Argumento sit ipsum Exordium nostrum. *Si periclum Dampnationis eterne quam nequam seruus pro retenta pecunia domini sui meruit, uolumus euadere fratres karissimi. sollicite considerare debemus. quam terribiliter euangelicus sermo eum increpat dicens. Serue nequam* &c. — *Quisquis igitur nostrum huius dampnationis miseriam euadere desiderat. non iam otiosus et negligens auditor huius sermonis existere debet* &c. Atque ita res eaedem per decursum jam uberius, jam contractius dicuntur, quam in Editis. Ultima sunt: *Et presta ut faciant que in hoc opusculo ipse loqui inspirasti. ut cis una mecum tribuas regna celorum. que sanctis tuis omnibus promisisti dare. tibi laus. tibi gratiarum actio. tibi honor uirtus et potestas. per infinita secula seculorum. Amen.* Adlocutionem hanc fortassis olim in Synodis pro *Formula* adoptatam fuisse, atque inde stili diversitatem manare conjectet aliquis; non enim desunt Exempla.

VI. *fol.* 39. *Incipiunt Excerpta de Libro Scintillarum. De Compunctione. Hier. Non minus laudandus est uir fortis in luctu, quam qui in bello.* &c. Liber *Scintillarum* extat T. VII. Opp. *Bedae Colon.* 1688. *col.* 370. f. Ordinem *Capitum* non est secutus Excerptor, et sub finem adnexuit quaedam: *De Ordine vivendi. De Avaricię Morbo. De Quatuor Virtutibus. De Octo Viciis Principalibus. De X. Plagis et X. Preceptis. De S. Maria. V.* (idem, quod supra jam N. I.) *De tribus Dietis*, et in Evangelium *Dominicae Palmarum.*

XCVII. IX. F. 21.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 181. 4. initio ducto a fol. 37. complectitur Sequentia: I. *Expositionem super Cantica canticorum Petri de Alliaco* Card. Ep. *Cameracens.* defuncti a. 1425. quae incipit: *Osculetur me osculo oris sui. Iste liber dicitur canticum amoris: vel canticum cantici* &c. et lucem vidit teste *Mich. Maittaire* unacum Tract. *de Vita Christi, Paris.* 1483. 4. et cum pluribus aliis *Petri Tractatib. Argent.* 1490. f. a qua Editione, ut ait *Oudinus T. III. col.* 2296. abest Descriptio *Visionis de Horto S. Scripturae* cum longa et eleganti Praefatione composita a. 1374. quae nec in Exemplo nostro 506